

**Dissertatio medica inauguralis quaedam de delirio trementi complectens ...  
/ eruditorum examini subjicit Edvardus Barry.**

**Contributors**

Barry, Edward.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nxbxa24h>

**Provider**

Royal College of Surgeons


**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







(5.)

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
QUÆDAM DE  
**DELIRIO TREMENTI**

COMPLECTENS ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICI DECRETO ;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**EDVARDUS BARRY,**

*Hibernus.*

---

*Ἐκ πολυποσίης ῥίγος καὶ παραφροσύνης, κακόν.*

HIPPOCRAT.

---

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI :

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

DISSECTATIO MEDICA

IN ANATOMIA

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS

DE VENTRICULO ET INTESTINIS



PATRUO SUO SPECTATO,

REVERENDO EDVARDO BARRY, S.T.D.

PRO EJUS BENEFICIIS CONCILIIISQUE

NUNQUAM OBLIVISCENDIS,

HASCE IN MEDICINA STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. D.QUE

FRATRIS FILIUS.

NECNON

MICHAELI RIVERS, ARMIGERO,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATISSIMI PIGNUS PEREXIGUUM

OFFERT

EDVARDUS BARRY.

DISSECTATIO MEDICA  
AUCTORE EDUARDO HARRY, S.T.D.  
INAUGURALIS

DE LITHIA TRENMENTI

SEMPER OBSERVATA  
COMPLECTENS  
A. D. D. G. G.

FRANCIS FILLIUS  
Auctore Eduardo Harry

Et magna cetera morborum, quibus potissimum  
corpus humanum ob structuram suam, mirabilem  
functionesque multiplices, obnoxium esse videmus,  
procul dubio est, multae ex aliis, consuetudine  
prava nasci. In quibusdam exemplis difficili  
est hunc connexionem in lucem proferre, dum in  
aliis investigatio levis transiens ostendit, ma-  
lum ex aliis huiusmodi causa oriri. In argu-  
mento dissertationis repetitis exemplum nota

Woodford Esq M.D.



# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

QUÆDAM DE

# DELIRIO TREMENTI

COMPLECTENS.

---

Auctore EDVARDO BARRY.

---

**E**x magna caterva morborum, quibus quotidie corpus humanum ob structuram suam mirabilem, functionesque multiplices, obnoxium esse videmus, procul dubio est, multos ex aliqua consuetudine prava enasci. In quibusdam exemplis difficile est hunc connexum in lucem proferre, dum in aliis investigatio levis manifeste ostendit, malum ex aliqua hujusmodi causa oriri. In argumento dissertationis sequentis, exemplum nota-



bile morbi luctuosi hoc modo inducti, habemus, in quo, miræ illæ actiones quibus cerebri et nervorum est perfungi, penitus obruuntur. Viscus tanti momenti, almus providusque Parens summa arte munivit, quo minus eī impulsu alieno violato noceatur. Hoc tamen nequaquam obstat, quod plura millia casuum quibus patet genus humanum, ex vitæ intemperantia multisque aliis causis, cerebrum gravissimis malis impliceant. Ex his, morbum recenter in notitiam prolatum, in paginis sequentibus selegi disserere, non spe me aliquid novi de natura aut curatione ejus proferre, sed solummodo ut legibus hujus Academiæ obtemperem.

Doctor SUTTON, paucis abhinc annis, hunc morbum in medicorum attentionem protulit, sub nomine Delirii Tremementis. Postea, Doctor ARMSTRONG nomine Delirii ex Ebriositate, et multi ab hoc tempore in libris periodicis eum descripserunt; et paucae dissertationes in hac Alma Academia promulgatae sunt.—Nunc ad SIGNA morbi tempus eundi est.

Hic morbus haud semper eodem more aggreditur; plerumque ægrotus, per paucos dies ante



accessionem ejus, sed præcipue si a solito stimulo cessasset, lassitudine, fastidio cibi, somno perturbato, vexatur; languescit totum corpus quasi defatigatum; animus tristis et mœstus est. Postea de cephalalgia, tinnitu aurium, somnis turbulentis, inquietudine, et quadam molestia queritur. Pulsus fere hoc stadio morbi parvus et celer est, sed aliquando non multum a naturali statu differt; calor cutis non augetur; lingua sordida et madida est. Ingravescente morbo omnia symptomata supra narrata augescunt, vultus ferox fit, agitatio et anxietas molestissimæ evadunt. Æger pervigilans fit, tremoribus manuum, et reliqui corporis plerumque corripitur. Memoria amittitur, mens variis rebus, et iis præcipue quibus in sanitate occupata fuit, agitatur; res suas deleri, aut amicos in exitium ejus conjurasse, putat; sæpe vult adire ubi negotia sua geruntur, et non cohibitus vestimenta sua hoc consilio induet; nunc sibi, nunc aliis, attente et solícite colloqui videtur. Sorices per cubiculum currentes, aliaque hujusmodi, se videre sentit. Si unquam paululum quiescat, lodicibus floccos colligit; quæsitus adstantibus, quomodo valet, respondet se esse bene; dolorem non patitur, saltem de eo non



queritur; sed inquietudo, et agitatio, non facile descripta, et huic morbo propriæ, maxime eum torqueant. De his rebus, quæ animum turbant, interrogatus, cum ratione primo respondet, brevi autem arguens, aut multum rogatus, confundi incipit; dissentiones vero maxime exasperant.

Hoc stadio morbi verum statum pulsus dignoscere difficillimum est, propter tremores artuum, tendinumque subsultus; sed cum possimus, fere citissimum, et perexiguum invenimus. Lingua plerumque humida est, ægerque quamvis potum, quando illi porrigitur, bibit, de siti non queritur: calor cutis non augetur, sudore autem viscido et copioso obducitur. Alvi dejectiones et urina inscienter elabuntur. In hoc miserabile statu æger diutius vel brevius manet, nonnullis casibus in dies viginti, dum in aliis (præcipue quando accessio repentina est), in dies duas aut tres tantum. In quibusdam exemplis multas hebdomadas permanet, et in fine, in maniam currit; sed plerumque coma vel apoplexia incedit, vitamque extinguit.

Hæc mihi forma communis morbi videtur; sed multum, et accessione, et symptomatibus, variis exemplis discrepat. In accessione egomet maximam differentiam vidi; nam in Nosocomio hujus



urbis fœmina fuit, quæ in dies duodecim quæstæ est, antequam ulla signa quæ hunc morbum indicant, apparuerunt; dum alterum exemplum vidi, in quo ægrotus per paucas horas tantum languescît: Nauticus fuit, et ut audivi in multas menses usui spiritus ardentis deditus; sed in dies duas, aut tres, quæ adortum præcederunt, ex solitis potationibus abstinebat; nocte atque die laboravit, vespere paululum ægrotavit; decubuit, et post horas duas delirans expergescit, cum multis hujus morbi signis, ut mihi videtur: Nulla remedia adhibita fuerunt, excepta affusione frigida, et tamen post sex dies convaluit.

## DE CAUSIS.

Causæ hujus morbi ab omnibus qui de eo tractaverunt, usui immodico spiritus ardentis, *aut alicui stimulo hujusmodi*, referuntur; et cum historias eorum qui eo corripuntur investigamus, fere invenimus, eos, vitam maxime intemperantiæ duxisse, aliquando per hebdomadas totas inebriari, et in hoc modo in annos vixisse. Multæ causæ sunt quæ adventui ejus favent; subita cessatio ex



solito stimulo, animi dejectio, aliqua magna jactura, fatigatio, &c.

Doctor ARMSTRONG exemplum narrat fœminæ, in qua hic morbus inductus fuit, cessando ex usu opii cui per longum tempus solita fuit.—De causa proxima hujus morbi nil dicere possumus, utpote atra in caligine mersa est.

#### DE DIAGNOSI.

Symptomata Delirii Tremementis talia sunt, ut multo facilius sit, id agnoscere, cum exemplum videmus, quam signa, in chartula narrare, quibus ab aliis morbis discernere possumus. Tres affectiones numerantur, quibus hæc confundi potest, nempe, Febris cum delirio, Phrenitis, et Mania. In Febre Continua, multa signa hujus mali incipientis adsunt, ut cephalalgia, irritatio, nausea; sed calor cutis multum augetur, et lingua arida est; hæc et alia ad diagnosin inserviunt. Ad diagnosin inter hunc, et Phrenitidem instituendam, pauca ex dissertatione optima, in hac Academia divulgata a Doctore BEGBIE, conscribam: “Morbis in utrisque inquietudo est, in illa tamen agitatio a cruciatu, in hoc animi perturbatio. Phre-



nitidem plerumque sanguinis ad faciem fluxus, lucis ac strepitus impatientia, comitantur; delirio trementi autem signa hæc levis momenti sunt, vel ex toto desunt; illum autem designat veterinus, atque excitatio omnigena ægroto molesta fit." Ex Mania, haud facile diagnosin trahere est: maniacus fere de una aliqua re delirat, autem æger in delirio trementi variis agitatur, et nunquam uni adhæret; agitatio, inquietudo, et tremores, semel visæ, et haud facile obliviscendæ, cum historia ægroti, morbum satis notabunt.

## DE PROGNOSI.

Prognosis in hoc morbo fere infausta est; tamen multa expedienda sunt ad hanc instituentiam. Si æger senex esset, cujus vires antehac fractæ sunt, et cujus vita in maxima intemperantia exacta fuit, si morbus diu perstitisset sine somno, et tremores cum agitatione et inquietudine non diminuentur, eventus infaustissima, nempe vel in morte vel in mania, expectanda est. Contra, si æger junior et ætate et poculis esset, si morbus recens, et somnus ullo modo potest in-



duci, minime desperandum est. Vix aut ne vix quidem eventum faustum videmus, ubi rebus adversis malum inducitur; etenim ægrotus his fere semper occupatus, adeo irritabilis fit, ut nullis remediis quæ administrantur, somnus induci potest. Inter funesta signa sequentia recensentur; pulsus parvus, celer, et debilis; oculorum distortio; convulsiones, subsultus tendinum; alvi dejectiones, urinaque, inscients redditæ.

#### DE SECTIONE CADAVERIS.

Perpauca exempla narrantur, ubi corpora eorum hoc morbo mortuorum, inspecta sunt, et hoc magnopere dolendum est, nam omnibus patet, quantum notitia accuratior morborum quam nunc habemus, dissectioni debetur. In Nosocomio hujus urbis, duas aut tres sectiones vidi, et in his, signa similia iis, quæ ab aliis enumerantur, nempe effusio serosa sub tunica arachnoidea, et in ventriculis, sinus laterales sanguine turgidæ, in vasis duræ matris, et in fine in omnibus partibus cerebri, signa congestionis sanguinis, notabantur.



## DE CURATIONE.

Duæ indicationes in hoc malo præcipue attentionem medicorum poscunt: 1<sup>mo</sup>, Febrem, si adsit, mitigare, et congestionem capitis occurrere: 2<sup>do</sup>, Agitationem et inquietudinem, somno inducendo, amovere.

De remediis quæ ad has peragendas utuntur, videlicet, Sanguinis missione, et Vesicatoriis, medicinis narcoticis, et postea rebus adjuvantibus, ut de Purgantibus, et Affusione Frigida, pauca dicam.

1<sup>mo</sup>, *De Sanguinis Missione.*—Hoc est remedium periculosum, et non sine maxima cautione usurpandum; nam plerumque ægroti sunt, debiles, et quibus, venæsectio debilitatem, maxime timendam, inducat. Si æger juvenis sit, et non per longum tempus ebriositati solitus (quod raro accidit), cum pulsu pleno et duro, aut si signa pneumoniæ adsint, cujus duo exempla vidi, tunc venæsectio usurpanda est. Doctor ARMSTRONG his verbis utitur: “ In the constitutions



that have not been shaken by reiterated drunkenness, I have known early and moderate venesection of much use, especially when followed by active aperients." Sed in ægroto qui senis est, et forte sub aliquo morbo chronico, ut hepatitide, laborans, et ubi morbus in paucas dies extitit, nequaquam ad missionem sanguinis fugiendum est. Doctor ARMSTRONG, in libro supra citato, ita dicit: " In debilitated and habitual drunkards, I have invariably seen bloodletting prejudicial, even at the onset." Doctor SUTTON, suo libro, simih modo se tradidit. Hirudines temporibus applicatæ ad congestum capitis levandum multum prosunt, et, me judice, ullo stadio morbi ubi signa hujus adsunt, utilitate usurpentur. Vesicatoria plurimis condemnata sunt, nam iis apparet, irritationem et febrem augescendo, injuriosa esse. Professor GRAHAM, in suis Prælectionibus Clinicis, de his remediis ita se tradidit: " The chief danger in this disease, is the tendency to the head; and the chief danger in the treatment, is the too free use of the lancet, as bleeding I consider a most dangerous remedy, and frequently kills the patient: it was to divert this determination to the head a blister was applied: though



blisters are considered very dangerous in this disease, still I think the danger from them over-rated."

2<sup>do</sup>, *De Remediis Narcoticis*.—Omnium remedium, quæ in hoc malo utuntur, opium, consensu fere omnium, præstantissimum esse præbetur, aut quum solum vel aliis adjunctum administratur. Experientia demonstrat, quod nihil valet nisi in dosibus magnis adhibeatur; nam in parvis, febrem et irritationem augescit, et nunquam somnum inducit. In liquida vel solida forma jubeatur; si tinctura utimur, gutt. quinquaginta pro dosi, incipiamus, omnique hora vel bihorio repetenda; et si post horas paucas somnus non inducitur, dosin augere debemus. In solida forma, cum granis duobus incipiamus, eodem modo repetenda. In quibusdam exemplis dosis ad grana quatuor aucta fuit, priusquam somnus induci potuit. Fœminæ sub cura Professoris GRAHAM in horis triginti duobus, scrupuli decem mensura tincturæ, et mollis opii grana sex, adhibiti fuerunt. Operæ pretium est notare, hanc fœminam post spatium breve recuperasse. Ubi opium hoc modo administratur, necessarium



est dosim gradatim diminuere, et per aliquas noctes haustum anodynum jubere.

Aliam præparationem opii habemus, Anglice “*Black Drop*” dictam, quæ ex effectibus in aliis morbis, me judice, in hoc cum multo commodo adhibeatur: haud caput eodem modo ac aliæ afficit; somnum hac medicina inductum vidi, ubi dolor capitis, et inquietudo molesta, usum tincturæ, et opii solidi, sequuntur.

3<sup>tio</sup>, *De Rebus juvantibus*.—Alvus semper medicamentis catharticis clysmatibusque ducenda est, nam utilissimum invenitur, sordes ex intestinis expellere. Ubi vires statusque pulsus sinunt, cathartica, quæ acrimoniam biliosam sordesque evacuare cogitantur, ut, submurias hydrargyri, pulvis jalapæ, &c. jubeantur; nam proculdubio est, has expellendo, febrem et fluxum sanguinis caput versus mitigari. Oleum ricini adjunctis tincturæ opii gutt. xxv. in stadiis proVectis, ad alvum ciendam prodest. Enemata purgantia, ubi, ex debilitatis signis, cathartica supra narrata non administrari possint, frequenter injiciantur. Doctor ARMSTRONG admodum laudat ut remedium pro hoc morbo, submuriatem hydrargyri cum opio



conjunctam, submur. hydrarg. grana decem cum opii grano, sexta quaque hora adhibita, donec gingivæ afficientur. Hujus rationis nullum exemplum vidi.

4<sup>to</sup>, *De Affusione Frigida.*—Experientia multorum demonstravit, applicationes frigidas non solum cum salute, sed etiam multo commodo usurpari posse, tametsi calor cutis non augeatur, et sudore viscido madeatur. Doctor WOOD, in his verbis, opiniones suas narrat: “Much depends on the application of cold to the head. Cold affusion often did not succeed, when large cloths, dipt in the coldest water, and one after another applied to the head, produced the wished effect. I never found this effect produced, until the application of the cold produced shivering; the pulse was always reduced twenty or thirty pulsations, and the patient fell into a sound sleep\*.”

In conclusionem, pauca de regimine dicemus. Curandum est, ut omnia quibus sibi vel alteris vim

---

\* Edinburgh Med. & Surg. Journal, vol. xiii.

infestat, ab eo auferantur, atque omne usurpandum est ad eum conciliandum et pacandum. Vis non nisi necessarium nunquam usurpanda est; potius suaviter animum ejus conciliare conamur; quodcumque vult, si injuriosa non sit, ei præbemus, et omni modo quo possumus eum indulgemus. Sed si ferocem se gerat, tunc necesse fit eum vi cohibere. Omne nutrimentum læve et facile concoctum jubeatur. In multis exemplis persuasus sum, paululum stimuli, cui æger solitus fuit, multo cum commodo adhibeatur, etiam in primis stadiis; in ultimis, necessarium fit vires vino omnique modo sustinere.

FINIS.



infestat, ab eo antequam atque omne usque  
 non est ad eum conciliandum et pacandum. Vis non  
 nisi necessarium modum usque est; potius  
 suaviter animum eius conciliare conatur; quod  
 cupere vult, si injuria non sit, ei prebentur, et  
 omni modo quo possunt eum indulgentes. Sed  
 si ferocem se gerat, tunc necesse fit eum vi con-  
 bere. Omne autem iudicium laeve et facile con-  
 tum jubeatur. In multis exemplis persuasum  
 sunt, paululum stimuli, qui reger solitus fit,  
 multo eum commode adhibetur, etiam in primis  
 stadiis; in ultimis, necessarium fit vires vino om-  
 nique modo sustinere.

FINIS

DISSERTATIO MEDICA

PARTITIONE HEMORRAGIA

D. GEORGIUS HALLIUS, S. T. P.

1710 Anno Eodem

JOHANNES MOTHERWELL

EDINBURGH

ROBERTS & WELLS

1827





